

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

Sectio VI. Effectus factae protestationis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

## S E C T I O   V I .

## Effectus factae protestationis.

§. 55.

1) *Protestatio nova non gignit iurā,*

Ex facta protestatione nova minime descendunt iura, id quod jam supra (§. 10.) observatum est; sed ista protestatio non nisi ad conservanda iura, quae absque eadem competebant, tendit. Si igitur jus, quod conservare possis, non adest, vel si idem legi cogenti vel alterius juri quaesito adversaret, effectus protestationis omnino nulli sunt. Omnes ex hac regula generali derivare effectus minime necessarium puto.

§. 56.

2) *Nec igitur praescriptionem interrumpit,*

Unum tamen momentum praeterire nequeo intactum, saepissime scilicet jam alias agitatum. Disquiritur, num protestatio ista cursum praescriptionis cambialis interrumpt?\*) Affirmant plures et leges et auctores \*\*). Negando vero respondet ad eandem quaestionem per ill.

G M E -

\*) Leges particulares in duas partes discedentes vide in FRANCK, inst. j. camb. L. II, Sect. 4, tit. 3, §. 30.

\*\*) Plura loca huc pertinentia collegit RICCIUS in exerc. X. Sect. 5, §. 50, 51, 53., qui et ipse hanc quaestionem affirmare studet.



GME LINUS \*); idque jure et merito. Allegat pro sua sententia LUDOVICUM \*\*) et SIEGELIUM \*\*\*, nec ego ista, quae dictus LUDOVICI \*\*\*\*) tum contra KÖNIGKUM, tum contra KÜSTNERUM assert, hic repetenda, nec SIEGELII locum esse explanandum censeo. Sententia enim scabinorum Lipsiensium, quam posterior et fibi et alteri eorundem sententiae etiam memoratae contrariam exhibit †), non est quod refutetur, cum nullis fundamentis superstructa sit. Id solummodo monebo, opinionem HEINECCIT et ill. Musäi ‡), quos a GME LINO memoratos invenis, qui que in omnia alia abeunt, aperte eo immitti errore, quod protestationem in se continere interpellationem, vel eandem ad hanc referri censemant, id quod omnino falsum esse apparet. Non enim contra illum protestor, a quo postea actione cambiali aliquid peto; sed contra alium. Priorem igitur minime interpollo; neque exinde si forte interpellationi extrajudiciali hunc tribuamus effectum, interruptionem praescriptio-

nis.

\*) l. c. §. 138.

\*\*) Einl. zum Wechselprec. cap. XI. §. 12.

\*\*\*) Einl. z. WR. Th. I. Kap. 4. §. 5. Stant etiam pro eadem sententia ICti Francofurtenses Frankfurt. Wechselreponsa. P. II. resp. 135. n. 3. pag. 197.

\*\*\*\*) cit. loc. §. 10 — 12.

†) cit. loco — in SIEGELII corp. j. camb. Tom. II. pag. 391f. 392.

‡) HEINECCII elem. j. camb. cap. 6 §. 20. Musäus Anfangsgr. des WR. §. 147. pag. 64. Ill. Musäus tamen de cambiis solummodo propriis loquitur.



nis elicere potes. Id quod adiuc hac de re, ut omnis exhausta sit quaestio, adjiciendum esse putavi <sup>†††.</sup>

## §. 57.

Ne tamen illum omissam hac de re momentum, istud adhuc addam, obvenire posse casum, in quo protestatio praescriptionis cursum interrumpere videri possit. Sed res specie fallit. — Interdum nempe debitoris, a quo pertendum est, conveniendi copia non est; cum is aut absit aut latitet. Ad factum istud magis stabiliendum protestationem institui nihil prohibet; atque in isto casu praescriptio omnino non currit. Sed si proprius rem consideres, apertum habebis, non protestatione sibi cursum praescriptionis, sed potius effectum istum emanare ex generali et notissima regula juris: *agere non valentii non currit praescriptio.* Protestatio vero non nisi ad probandum istud factum: *creditorem agere non valere*, effectum suum exferit \*).

## SECTIO VII.

Modus procedendi post protestationem factam.

## §. 58.

1) *De transmissione protestationis.*

Postulant complures constitutiones cambiales \*\*), ut protestans cambii et protestationis instrumenta ad locum, unde

†††) Alium praescriptionis terminum cambio traxato, de quo nemo protestatus est, alium vero illi, de quo protestatio confecta est, praefigit. *Poln. WO.* v. 1775. §. 3. n. 4-6. in *UHL.* cont. IV. pag. 6.

\* ) Ex his principiis res similis circa cambium proprium quodammodo definita esse videtur in *alig. preuss. Landr.* P. II. §. 1213. Tqq.

\*\*) Praetereo multas in *SIEGELIANO* corpore ejusque continuationibus duabus prioribus insertas, in pluribus aliis libris alle-

unde prius ad se pervenerit, mittat, id quod tamen non nisi sedula distinctione affirmandum esse censeo. Si enim praesentans mandatarii saltim vices teneat, remissio amborum instrumentorum omnino necessaria est, cum non sua, sed mandantis, jura conservaverit, eidemque media ad ista persequenda in manus tradere debeat. Obligat quoque mora in remissione cambii conimissa vel dolosa vel culposa mandatarium ad damnum resarcendum \*).

## §. 59.

Nequeo idem per omnia dicere de protestante cambii proprietario. Is enim, qui ipse regressum erga remittentem s. alium ex praecedentibus cambii indossantibus (vel confessim vel ex intervallo, excusso e. g. acceptante solutionem denegante etc.) meditatur, probationis mediis, instrumentis scilicet cambii et protestationis, sese exuere minime potest. Non ergo video, quoniam modo ad cambii remissionem, quamdiu eidem satisfactum non sit, obligatus haberi possit. Protestationis instrumentum unum remittere quidem potest, cum alterum vel jam confectum teneat, vel ex protocollo notarii conficiendum curare possit. Et hoc quidem interdum jure efflagitat remittens s. is, cui de regressu actionem struit, quippe qui interdum porro erga alium regressum quaerit ad eundemque ideo probandi mediis instructus esse debet. Quando igitur certum est, eum, quem

re-

gatas. Nominō ex recentioribus Oestreich. Wechselpatent v. 1763.  
art. 11, in UHL cont. III. pag. 9. Poln. Wechselverordn. v. 1775.  
§. 2. n. 4. in UHL cont. IV. pag. 4. Augsb. WO. v. 1778. cap. 5.  
§. 23. in UHL cont. IV. pag. 91.

\*) Habes eandem sententiam in SIEVEKINGII libello S. 137.  
Iqq. expositam — cf. etiam allg. preuss. LR. §. 1046.

## G

